Fragmentarium

(25)-f.1r

Incipit dissuasio valerii ad rufinum amicum suum

Loqui prohibeor et tacere non possum. Grues odi et vo-
cem ulule. bubonem et aves ceteras que lutose hy-
emis gravitatem preululant luctuose. et tu subsannas va-
ticinia dispendii venturi vera si perseveras. Ideo loqui prohibe-
or veritatis augur non voluntatis. Luciniam amo et me-
rulam que leticie aure levis concentu placido preloquuntur et po-
tissimum philomenam que optate tempus iocunditatis to-
ta deliciarum plenitudine cumulat. Nec fallor. gnatones (v. ganeones) di-
ligis. et comicos qui dulces persusurrant illecebras. et precipue
circem que tibi suspirate suavitatis aromate gaudia plena
perfundet. ut fallaris ne sus fias aut asinus tacere non possum.
¶ Propinat tibi mellitum toxicon ministra babel. blande ingre-
ditur et delectat et impetum animi tui ꝯuiat. ideo loqui prohibe-
or. ¶ Scio quod in novissimo sicut coluber mordebit. et vul-
nus imprimet impar omni tyriaco. ideo tacere non possum.
Multos habes voluptatis tue persuasores in caput tuum facundis-
simos. me solum elinguem preconem veritatis amare. quem nau-
seas. ideo loqui prohibeor. Repleta (v. reputata) est fatua vox anseris inter olo-
res tantum delectare doctos. ea tamen salvare urbem docuit senato-
res incendio thesauros rapina. seipsos atelis hostium. forsitan
et tu cum senatoribus intelliges quia prudens es. quod organizant
tibi olores interitum et anser salutem strepit. ideo tacere non possum.
Desiderio tuo totus inflammaris. et speciosi nobilitate captus se-
ductus: chimeram miser nescis quod petis. sed scire devoves quod
triforme monstrum illud insignis venustatur facie leonis o-
lentis maculetur ventre capri. virulente armetur cauda vi-
pere. ideo loqui prohibeor. Delectatus est ulixes simphonia sirenum.
sed quia sirenum voces et artes poeticas novit veritatis vinculis
sibi vim fecit ut vitaret voraginem. ego autem sperans in
domino aditior quod imitator ulixis eris. non empedoclis qui sua
philosophia ne dicam melancolia victus ethnam sibi mausoleum
elegit. et parabola quam audis advertes quod timeo. ideo tacere non
possum. Tantum validior est ignis tuus ille quo tibi sonuit

Cod. AA 90 (25)

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.25, 1r – Map, Walter, Epistola Valerii ad Rufinum; Jean Lefèvre, Regratiatio abbati Eustachio sancti Vedasti; Excerpts (https://fragmentarium.ms/view/page/F-bkrq/5304/50392)